



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Conventrensi Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

## 286 Epistolarum Innocentij III.

quia ea quæ ad tantum officium pertinet, per se, prout singulis expediret, non valet præfessionaliter exercere, tam vos quæm alias ministros Ecclesiarum in partem solicitudinis advocavit, ut sicut tanti onus officij per subsidiarias actiones commodiū supportetur. Inde est quod cùm Ecclesia beati Martini Turen. nostra filia specialis existat, nec ei possimus in quibuslibet necessitatibus suis præfessionaliter, prout tenemur, adesse, nos ministerium nostrum, quod eidem impendi non potest, vestræ solicitudini committentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dilectis filiis Canonicis ipsius Ecclesiæ, quoties ad vos pro irrogatis sibi injuriis duxerint recurrentum, de malefactoribus suis constitutis in terra caris. in Christo filij P. illustris Regis Franciæ, appellatione remota, nullatenus differatis justitiae plenitudinem exhibere, ad id liberiū faciendum, quemadmodum videritis expedire, motione præmissa rigorem ecclesiasticum, prout justum fuerit, adhibentes. Datum ut supra.

*Scriptum est in eundem modum Episcopo & Decano Pictaven.*

**PICTAVEN. ET CENOMANEN.**  
*Episcopis, & Abbatu de Fontana.*

Epiſt. 496.  
Ejusdem argu-  
menti.

**P**rotestatis apostolicae &c. ut supra usque ad verbum committentes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ad eandem Ecclesiæ accedentes, ea quæ tam in vestimentis Canonicorum inordinatis quæm divinis obsequiis, meditationibus, & firmis tempore residentia facienda, & aliis tam spiritualibus quæm temporalibus videritis corrigenda, cum consilio eorum quos in ipsa Ecclesia maturioris & seniorioris consilij esse noveritis, auctoritate apostolica sublatu contradictionis & appellationis obstaculo, Deum solum habentes præ oculis, corrigentes, eos quos vestris institutionibus contrarios inveneritis aut rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis, ita in hoc provisione sollicita procedentes, quod studium vestrum apud Deum & homines multipliciter appareat commendandum. Quod si omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut supra.

*CONVENTRENSI EPISCOPO.*

**V**itium simoniaca pravitatis quantum Deo sit odiosum, & quanta ex eo sequatur pernices animarum, fraternitatem tuam credimus non latere. Inde est quod cùm, sicut audivimus, plures Clerici de tua dioceſi sua sint beneficia simoniaca affecuti, ita quod ex hoc magnum scandalum in populo generetur, tibi præsentium auctoritate duximus injungendum ut illis qui legitimè convinci poterint ecclesiastica beneficia taliter obtinere, amotis, tibi ea liceat, appellatione remota, personis idoneis assignare; alios vero qui canonicè convinci non poterint, si fama publica noveris laborare, ad purgationem canonicanam subl. appellationis diffugio nostra possis auctoritate compellere, ne scandalum in populo generetur. Vellemus autem quod circa primordia promotionis tuæ majorem nobis & Ecclesiæ Romanae reverentiam impendisses, Datum La-

Epiſt. 497.  
De pectoralino  
niacorum.

*LITERÆ GUIDONIS*  
*Comitis Alvernæ ad Dominum*  
*Papam.*

**D**ominino Innocentio divina bonitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo & universalī Episcoporum Episcopo Guido Comes Alvernæ salutem cum omni reverentia, & hominij fidelitatem debitam. A parentum meorum fide non degenerare laboras, qui quoddam suum proprium castellum nomine \*Vteo, Deo & sanctis Apostolis & Ecclesiæ sanctæ Romanæ sibique præsidentibus Domino Alexandro Papæ videlicer & successoribus suis delegarunt, aliud non minus præcipuum castrum à me noviter ædificatum, & meo nomine nominatum, præfata sancta Rom. Ecclesiæ dono & concedo, aurique unciam pro mea recenti mutatione transmitto. Vestram itaque protectionem & defensionem super fratrem meum R. Claramonten. Episcopum exorare, sicut viderit, decrevi: quoniam idem frater meus prefatus Episcopus, conjunctis & adunatis sibi Coterelorum & Basclorum ruptis diversis, in præjudicium sui ordinis & prævaricationem totius juris, terram meam incendiis, homicidiis, & rapinis, & quibuscunque potest malitiis devastat. Vestra

Epiſt. 498.  
Romana Eccle-  
sia caſtrum do-  
nat, fratrique  
fui cantum co-  
mendat. Pos-  
ſifici.  
\* Lig. Bullio,  
ut menti labo-  
rus in tripla  
Historia Domini  
Turriana pag.  
40. Videiam  
pag. 36, in or.  
ad Collectione  
legitime Vito.